

ter rationem instituti nostri forent, videri possunt in egregio illo Zimmermanni Tractatu *ad locum Tertulliani: Christiani fiunt, non nascuntur.* In tali itaque statu fuerunt primi Christiani eo tempore, quo Hierosolymis decedere, ac Pellam migrare jubebantur, quique tunc etiam Ecclesiam ex Judæis conversis & Domini secundum carnem propinquis conflata[m] habebant, teste Blondello *de Episcopis*, p. 422.

IX. Nos porrò progredimur & dispicimus (2) *Locum, sive terminum, à quo primi Christiani iter suum conficiebant: isque erat urbs Hierosolyma, quæ non solum in Judæâ, aut vicinis regionibus, sed & in toto terrarum orbe olim fuit celeberrima; ac hodiernum ob tot tamque graves casus, & excidia sæpius iterata, apud Christianos quoque est notissima. Urbs illa, quæ hæctenus sedes Ecclesiæ Judaicæ erat, quamque Jehova præ aliis omnibus sibi in habitationem eligere, ac ibidem ignem furnumque suum primum instituere dignabatur. Hæc igitur, prout sola atque unica tunc temporis erat primaria Ecclesiæ Judaicæ sedes; sic etiam ipsa Ecclesiæ V. T. primam originem sedemque præbere, ac sola, non alia quæcunque omnium Ecclesiarum Christianarum mater esse debebat. In eâ namque, nec uspiam in toto terrarum orbe alibi, doctrina Apostolica primum omnium ortum suum traxit, ac exinde in orbem terrarum Apostolorum sonus exivit, uti Paulus monet Rom. X. 18. Ast, sicut Hierosolyma sedes ac mater Ecclesiæ erat, sic simul quoque spelunca latronum existebat, ubi non solum in monte Moriâ, sive Golgathâ, qui erat locus supplicis maleficorum destinatus, Christum Salvatorem nostrum, ac Redemptorem universi gene-*

ne.